

DISPUTATIO THEOLOGICA  
PRO NONO ARTICULO  
LIBRI CONCORDIÆ,  
DE  
DESCENSU CHRISTI  
AD INFEROS,

*Quam*

Deo Opt. Max. Benedicente

PRÆSIDE

GEORGIO C. ALANO

In Regia Academia Aboënsi, S. S. Theol.  
Professore P.

*Publicè proponit*

RESPONDENS

EDVARDUS A. RAZELIUS SUDERMAN-  
NIA - SUECUS S. R. M. Stipend.

*In Auditorio Majori, die 7. April. Anni 1660.  
horis matutinis.*

A B O Æ

---

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

Regiæ Universitatis Aboënsis p. t.

Magnifico R E C T O R I

*Reverendo plurimum & Praclarissimo Viro*

DN. M. P E T R O B E R G I O Heb. & Græc.

Ling. Professori ordinario, solertissimo, præceptori  
& promotori suo æternum observando,

*Reverendo & præclarissimo Viro*

DN. M. A N D R E Æ J U L I N O Ecclesiæ Ny-

cop. ad occidentem Pastori vigilantissimo, nec non Districtus  
adjacentis præposito gravissimo, Evergetæ & promotori suo  
certissimo, omnis obsequij cultu jugiter prosequendo,

*Reverendo & Doctissimo Viro*

DN. C L A U D I O A L A N O Ecclesiæ Dei in

Kårpo Pastori meritissimo, animarum ibidem curam inde-  
fesso labore accuratè gerenti, favitori & benefa-  
ctori honorando.

*Reverendo & Clarissimo Viro*

DN. M. O L A O P. F O R S I O, Sch. Nycop. Rect.

perindustrio, olim ut præceptori fidelissimo, benefactori magno,  
ita nunc studiorum meorum promotori, quovis officij &  
observantiæ genere ætatem suspiciendo.

*Variarum rerum usu & experientiâ præstantissimo Viro*

DN. P E T R O S E V E R I N I Holmdorff /

præfecto ditionis Jockis circumspedo.

*Ingenio, virtute & eruditione politissimo Juveni*

DN. S A L O M O N I L. S n e b e r g h in hac Acad.

Aboënsi florentis, literarum cum primis studioso perassiduo,  
fratri & amico suo à teneris sincerè dilecto.

*Disputationem hanc Theol. in debita gratitudinis obsequio, meo  
morisq; animi testimonium inscribit & offert.*

Respondens.



D. O. M. A.

DISP. PRO IX. ARTICULO LIBRI  
CONCORDIÆ

De

DESCENSU CHRISTI AD  
INFEROS.

Thesis I.

Cum Descensus Christi ad inferos sit pars officij Christi, concinno ordine superiori de persona Christi *ouç, rjçæ*, hæc de descensu Ejusdem ad inferos subijcitur. Actum enim fuit articulo superiore, quis Christus Salvator noster sit? quod nimirum verus Deus & verus homo. Deinde, quomodo divina natura communicaverit idiomata sua humanæ? Et vicissim; quomodo humana communicaverit divinæ? Restat igitur ut videamus, quid porrò nostri causa susceperit, partes, quæ officij à patre commissi quomodo peregerit; quod videlicet ad inferos descenderit, regnum Diabolorum everterit, ac omnes hostes infernales captivos duxerit, ut nihil relictum sit, quod ab ipsis timeamus, quemadmodum testatur Apostolus, 1. Cor. 15, 55.

II. Etsi verò Form. Christianæ Concordiæ de hoc articulo non esse disputandum præcipiat: quippe qui nec sensibus, nec ratione nostra comprehendi queat, sed eum quam simplicissimè credendum & docendum esse statuunt Libri Concordiæ authores; Ordinis tamen

institutiq; nostri ratio à nobis postulat, ut Ecclesiarum  
nostrarum sententiam etiam de hoc doctrinæ capite  
exponamus.

III. Diligenter itaq; hic cavebimus, ne res fidei ra-  
tionibus humanis committamus; sed simplici pietate &  
pia simplicitate, juxta tantorum virorum consilium, no-  
stram disquisitionem in tam difficili negotio tempera-  
bimus; *Et dum adhuc mortalitatis tenebras circumferimus,  
juxta immortalium Scripturarum claritatem viam intelligendæ  
dirigemus.* Aug. de temp. serm. 137.

IV. Potest autem hic articulus sequentibus membris  
& questionibus non incommodè explicari. 1. Num  
Christus verè & realiter; an verò spiritualiter & Metapho-  
ricè tantum ad inferos descenderit? 2. Num Christus totus  
secundum utramq; naturam, an verò secundum alterutram tan-  
tum sive divinam, sive humanam? item num sola anima; an  
verò corpore & anima simul descenderit? 3. Quando Domi-  
nus noster Iesus Christus ad inferos descenderit? 4. Quid  
Christus in inferno egerit; & cui bono illuc descenderit? 5.  
Num hic articulus ad passionem, sive statum exinanitionis; an  
verò ad gloriosam victoriam & triumphum Christi, seu ex-  
altationis statum referendus sit? De quibus omnibus &  
singulis, quantum quidem SCR ipsa & analogia fidei  
permittunt, Deo clementer benedicente, strictim agemus.

V. Primam Questionem quod concernit; sunt qui de-  
scensum Christi ad inferos per sepulturam interpreten-  
tur, ut Beza sic scribetis in cap. 2. Actor: Descendere  
ad inferos propriè significat sepulchro condi. Sed res  
futatur à suis complicibus Calvino, Aretio, Ursino. Ita  
enim Ursinus in compendio doctrinæ Christianæ p. 326.  
De sepulchro, inquit, non potest hic articulus intelli-  
gi; quia præcedit, sepultus est. Si quis articulum pos-  
terio-

steriorem prioris exegesi dicat, nihil dixerit. Quoties enim duæ locutiones rem eandem exprimentes coniunguntur, ita ut altera sit alterius exegesis, posteriorem priore clariorem esse convenit. Deinde non est verisimile in hoc symbolo tam brevi & succincto eandem rem bis dici verbis commutatis. Et Aretius part. 1. problem. p. 144. Calvinus lib. 2. Instit. Cap. 16. sect. 8.

VI. Calvinus hunc articulum de animæ cruciatibus exponit, quos pertulit Christus in horto & agone, cum se derelictum à patre in cruce clamaret. Magistrum sequuntur Bucanus, Ursinus, Keckermannus, Junius, Rivetus, Wendelinus, & quis non?

VII. Sed hic diligentissimè distingvendum est inter descensum ad inferos Metaphoricum, & Realem sive propriè sic dictum. Consistit autem *Metaphoricus* in eo, quod Christus tempore passionis suæ dolores ac cruciatus infernales in sanctissima anima sua sit perpeffus, præcipuè cum clamaret, se derelictum esse à patre, Matt. 27, v. 46. Confer psal. 18, 6. psal. 49, 16. psal. 116, 3. 1. Sam. 2, 6. Act. 2, 27. *Realis ac propriè sic dictus* descensus est is, quo Christus revera ad locum sive  $\pi\tilde{\nu}$  damnatorum, qui à beatarum animarum habitatione distinctus est, sese demiserat, & in gehennam ac tartarum usque descenderat. De posteriori, non de priori Symbolum Apostolicum nos instruit, quiq; à passionibus est sequstrandus, non cum iisdem confundendus.

VIII. Realem itaq; ac proprium horum verborum, Descendit ad inferos, sensum exosculamur & amplectimur; consistentes, *Christum verè ac realiter descendisse ad inferna, ad domicilium illud damnatorum, in quo secundum severum iustitiæ divinæ rigorem, Diaboli ac impij propter peccatum aternis torquentur cruciatibus, quemadmodum illud de-*

*scribitur Matt. 25, 41, Marc. 9, 43.* Nam si allegoriam, vel Tropologicam & Metaphoricam explicationem in hoc articulo admittamus, vix reliquos fidei articulos à tropo & allegoria immunes retinebimus.

IX. Quamvis autem testimonia multa in divinis literis non occurrant, ex quibus directè & Apodicticè realis hic ad infernum descensus probari possit; duobus tamen evidentibus, ijsq; analyticis, descensum illum Christi rectissimè pariter & evidenter probari posse censemus. Nec enim existimandum, eum rectè in Theologicis disputare, qui dicta multa congerit, quæ vel nihil, vel parum ad quæstionem propositam faciunt; sed qui illud, de quo quæstio est, etiam uno, aut altero sufficienter & legitimè ostendit.

X. Et principio illustris cumprimis locus est Eph. 4. v. 9. 10. *Illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descenderat, ipse etiam est, qui ascendit longè supra omnes cælos, ut impleret omnia.* Ubi principaliter agitur de ascensu ac descensu Christi resurgentis, potentissimaq; totius hujus universi gubernatione. Ex hoc dicto descensum Christi realem contra adversarios demonstrabimus duobus argumentis.

XI. *Primum ex phrasi ac modo loquendi desumitur, cum Christus dicitur descendisse in inferiores partes terræ. Ubi observetur, quod Apostolus non contentus dixisse in terram, addidit terræ partes, easq; inferiores seu infimas: (comparativus enim vim superlativi habet) ut comparentur inter se, non cælum ac terra, sed superiores ac inferiores terræ partes, quibus vocibus terra in scriptura ferè nunquam appellatur. Aut igitur manifestus vocabulorum abusus est, aut infernus damnatorum hic innuitur, qui infimus dicitur non localitate physica, aut Geometrica*

metrica dimensione ; sed quia à conspectu gloriae & beatitudinis aeternae, quae supra est, remotissimus est, Col. 3. 1. 2 Nam scriptura habitationem beatorum & locum damnatorum vocabulis *Supra* & *Infra*, distinguit. Unde Augustinus l. 12. de Genesi ad literam c. 32. Est prorsus, inquit, inferorum substantia; sed eam spiritualem esse arbitror, non corporalem. & c. 33. Inferi eo quod infra sint, Latine appellantur: Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Cum qua Augustini Explicatione congruit observatio Brentij: Cum de rebus spiritualibus & caelestibus sermo est, haec vocabula SUPRA & INFRA usurpari quidem ex humana consuetudine: non definiiri autem locis, sed dignitate & indignitate: maiestate & abiectione: gaudio & horrore: Latitia & tristitia &c. Hinc Theophylactus: *Quò descendit? ad inferos. Hos enim infimas terra partes appellat, juxta communem opinionem & intellectum.*

XII. Nec leviter argumentum hoc confirmatur, si oppositio inter caelum & infimas terra partes observetur. Caelo enim supremo, seu ei, quod est supra omnes caelos, non terra, sed infernus opponi debet. Inde iterum Chrysostomus, ejuſq; abbreviator Theophylactus: Descendit ad infimas terrae partes *μεθ' à ἐν ἐσω ἑρεσῶν*, & ascendit supra omnia, ultra quae non sunt alia: nec obstitit descensus, quo minus ascenderit. Ex ijs igitur nunc ita argumentamur: *Qui prius descendit in inferiores terra partes, post quas non est aliud quid, ita ut post ascenderit supra omnia, ultra quae, non est aliud, ille verè ante ascensionem in summos caelos, imò supra eosdem, ad inferos prius descendit. Id autem fecit Christus, juxta Apostolum. Ergò.*

XIII. Verum, hic tria excipere solent adversarij. Ac  
 1. quidem, quod descendere infirmitatem sæpe ac dolorem,  
 & ipsius Christi quoq; exinanitionem notare videatur,  
 cum tamen nos dicamus, ut in quæstionibus seqq demon-  
 strabitur, articulum hunc de descensu ad victoriam &  
 exaltationem pertinere. Sed *ꝛ. 1.* Rectè dici, Descen-  
 sum Christi ad statum exaltationis pertinere. *ꝛ. 2.* Ver-  
 bum descendendi & *καταβαiven* de Deo ac creaturis  
 in Scripturis Sacris usurpari, & ibi quidem manifesta-  
 tionem divinæ potentæ ac gloriæ, ut Gen. 11, v. 5, 7,  
 cap. 18, 21, c. 46, 4. Exod. 19, 18 20. 1. Thes. 4, 16. Hic ve-  
 rò gloriosam quandam actionem ac victoriam fere sem-  
 per denotare, ut cum Joh. 1. 52. dicitur: *Ab hoc tempore*  
*videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descen-*  
*dentes super filium hominis*, quod est gloriæ. Confer. Gen.  
 28, 12. Item Matt. 27, v. 42 & Marc. 15, 32. *Si rex Is-*  
*raelis est, descendat nunc è cruce, & credemus ei.*

XIV. Deinde excipiunt, per inferiores terræ partes  
 vel totam Christi humiliationem, vel incarnationem sal-  
 tem ac descensum in uterum matris intelligi, quod  
 probat Rivetus ex Esa. 44, 23. *Cantate cæli, facere leho-*  
*vam hæc, clangite ima terræ.* & psal. 139, 15. *Non celata est*  
*vis mea tibi, ex quo factus sum in abdito, artificiosè confectus,*  
*velat in imis partibus terræ.* Ita & hoc in loco ab Aposto-  
 lo dici. *ꝛ. 1.* Apostolus hic loquitur de Deo *εὐσαρκος*  
 seu Deo incarnato. Absurdum autem fuerit dicere,  
 Christum incarnatum descendisse de cælo in ipsum u-  
 terem matris, ut incarnaretur. 2. Verba Apostoli ad tri-  
 umphum ac victoriam Christi, incarnatio verò ad exi-  
 nanitionem pertinet. 3. Locus Esaïæ de inferno com-  
 modè accipi potest, quemadmodum alias prophetæ cœ-  
 lum, terram, nubes, aliaq; animatas æquè ac inanimatas



res inclamare solent. Sed psalmi locus valde dissimilis est: Nam 1. Ibidem Metaphora statim explicatur. 2. non fit oppositio partium terræ ac cœli. 3. Aliud est descendere in inferiores partes terræ, aliud formari in abditis partibus terræ, & ibi artificiosè extrui.

XV. Deniq; & illud adhuc urgent, quod Ascensus descensui sic opponatur, ut illo gloria & Majestas Christi; hoc verò ejusdem exinanitio ac infirmitas, tanquam duo distincti status denotentur. Sed *12.* Non opponit hæc Apostolus tanquam duos status, nimirum, exaltationis ac exinanitionis, sed ut diversos tantum modos manifestationis in uno atq; eodem exaltationis statu. *Aliter enim Christus in inferno, aliter in cælo sese patefecit, utrobiq; tamen gloriosè & instar victoris.* Id quod non tantum ex hoc loco, ubi tam Apostolus, quam psalmus 68 de victoria Christi loquuntur, sed idem etiam ex alijs Scripturæ locis manifestè ostenditur. Ita cum Act. 1, 11. dicitur: *Hic Iesus qui sursum receptus est à vobis in cælum, ita veniet, quemadmodum spectastis eum proficiscentem in cælum.* Qui ipse reditus 1. Thes. 4, 16. descensus appellatur, & cum magno clamore, cum voce Archangeli & Dei tuba futurus dicitur.

XVI. Alterum argumentum hoc est: *Qui idè descendit & ascendit, ut omnia impleret, ille non in terram tantum, sed etiam in inferiores partes terræ descendit, ut & illas impleret.* At *Christus idè descendit & ascendit, ut omnia impleret.* Ergo. Illud enim *iræ* non nudum consequens, sed tam causam & finem, quam effectum & consequens subinfert. Unde observant nonnulli regnum Christi triplex esse, cœlestium, terrestrium & inferorum Phil. 2, 10. Christum igitur perfectam & absolutam regni sui possessionem non accepisse, nisi & has omnes regni

fui partes, terrestrem, cœlestem & infernalem obivis-  
set, ac præsentia implevisset.

XVII. Per πληρωσι των πάντων non intelligimus  
complementum prophetiarum. Nam quid ad impletionem  
Scripturarum loca infera & supera? Et agit Apostolus  
de tali impletionem, ex qua omnia in omnibus operatur,  
& præsentia efficacia implet, Spiritum sanctum effundit,  
supra omnes cœlos ascendit, & ascensum Christi ab  
aliorum ascensu discernit. Deinde impletionem quidem  
donorum hic non excludimus; sed tamen eam vel κυριως,  
vel solam denotari negamus. Ipse enim satis explicat  
v. 6. quid velit intellectum per τα πάντα, scilicet ἐν  
πάντων, καὶ ἐν πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. item,  
quod sit exaltatus supra omne nomen, quod nominatur in  
hoc & futuro seculo, Eph. 1, 21. Quod sit caput super o-  
mnia v. 22. omnia in omnibus implens, v. 23; ut in ejus no-  
mine omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & infero-  
rum Phil. 2, 9, 10. ideo psal. 68. dicitur, captivos facere  
rebelles v. 19. Et frangere caput inimicorum suorum, v. 22.  
Inde factum, ut dominetur in medio inimicorum, Psal. 110,  
2. Absit ergo, ut imperium ejus angustis limitibus Ec-  
clesiæ circumscribamus. Nam etiam immundis spiritibus  
imperat ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, Luc. 4, 36.

XVIII. Rectius igitur ex hac impletionem omnium asse-  
ritur universale ejus imperium tam in cœlo, quam in terra  
& in inferno, quod Paulus 1. Cor. 15, 25 explicat per τὸ  
βασιλεύειν. Et Eph. 1, 23 dicit τὸ πληρωμα τῶ πάντων  
ἐν πᾶσι πληρωμένον, complementum Dei non quod  
Deum complet, sed quod à Deo completur, significa-  
tionem passiva, ut post Chrysostomum interpretatur Rive-  
tus. Eodem modo legitur Jer. 23, 14. Numquid non cœ-  
lum & terram ego impleo, dicit Dominus, Et Sap. 1, v. 7.

Spiri-

*Spiritus Domini implet orbem terrarum.* Necesse igitur est, ut hoc loco *τὸ* implere accipiamus pro praesenter operari, quia Deus replet caelum & terram, id est, potentissima praesentia operatur in caelo & in terra, ut loquitur B. Frantzius de interpret. script. p. 1168.

XIX. Alter locus, qui de reali Christi ad inferos descensu agit, Extat 1<sup>o</sup> Pet. 3, 18, 19, 20. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret. Morte quidem affectus carne, vivificatus autem spiritu. Per quem etiam spiritibus, qui sunt in carcere profectus predicavit. Qui olim non obedierunt, quum semel expectabat ille patiens Dei animus in diebus Noe.* Sensus horum verborum est: Christum passum pro peccatis, mortuum esse carne, vivere autem nunc spiritu, seu per divinam virtutem ac potentiam resuscitatum, atq; eam ipsam profectum ad animas ἀπειθεῖς, quæ praedicationi Noachi olim fidem adhibere pertinaciter noluerunt, ideoq; Conclusæ sunt in carcere infernali. His ergo animabus ἐξηγουεῖ non verbis, sed illustri quadam patefactione & manifestatione gloriosa victoria sese exhibitum declaravit ut exponunt quoq; Ambrosius in Eph. 4. *Triumphato Diabolo descendit in cor terre, ut ostensio ejus predicatio esset mortuorum.* Athanas. lib. 8, de incarnat. Verbi; in descensu inferorum solvendæ mortis potestatem ostendit annunciando omnibus resurrectionem.

XX. Hanc sententiam antiquissimam esse fatetur Beza, & maximorum virorum autoritate niti, quippè quæ ex visceribus textus sua sponte fluit. Bellarminus autem Lib. 4. de Christi anima c. 13. Clementem Alexandrinum lib. 6. Strom. Athanas. Epist. ad Epiſt. & lib. de incarn. Epiphan. Hær. 87. Cyrill. de recta fide ad Reginas, Hilar. In psal. 118. Ambros. in

cap. 10. ad Rom. Ruffin. in Exposition. Symboli. Oecum. in h. l. Justinum in Dialogo cum Tryphone, Irenaeum lib. 3. c. 23 ita sentire docet. Nec desunt ex nostris, qui eandem amplectuntur; ut Cent. Magd. cent. 1, L. 1. c. 10. Affelmannius disp. de descens. Cramerus de Descensu p. 68. alijsq; cum Meisnero recentiores.

XXI. Hanc sententiam Ekhard in Tract. de descensu ad inferos pulchrè exponit his verbis: *Retinemus interpretationem literalem, & per carnem, qua Christus mortificatus dicitur, totam ejus humanitatem, cujus per mortem facta est solutio, cum assumpta infirmitate; per spiritum, quo vivificatus divinam ejus virtutem & potentiam intelligimus, per quam anima suo vicissim corpori juncta, eiq; vita restituta est: ut sit idem seclusus, qui 2. Cor 13, 4. In qua virtute triumphans descendit ad damnatos spiritus, usq; predicavit (rectius præconium fecit, vocabulo forensi, seu publice denunciavit & proclamavit.) hoc est incredulitatem ipsorum redarguit & coarguit, usdemq; majestatem suam manifestavit, ut ita predicatio hæc realis sit magis, quam verbalis, nec ad conversionem aut liberationem, sed ad confutationem, cujusmodi prædicatio etiam facta est ad divitem Luc. 16.*

XXII. Huic sententiæ magna lux accenditur, ex v. 22. In quo Christus dicitur *προεβηεις εις ορανον*, profectus in cælum, consedisse ad dextram Dei, & subjecisse sibi angelos, & potestates & virtutes. Quia ergo vocabulum *προεβηεις* de ipso etiam usurpatur v. 19. Et insuper manifesta est oppositio inter infernum, voce *φωλακας* notatum, & inter cælum, facile apparet v. 19 sermonem esse de descensu ad inferos, v. 22. de ascensione in cælum. Et cum v. 21. resurrectionis quoque fiat mentio, dubium est nullum, quin Spiritus Sanctus

pro

pro triplici locorum diversitate, inferni nimirum, in quo damnati; terræ, in qua homines adhuc viventes toti; & cœli, in quo beati, triplicem Christi triumphum hic voluerit subinnuere, quod is ostenderit Majestatem & victoriam suam hominibus jam olim damnatis, per descensionem ad inferos; viventibus in hac terra per resurrectionem à mortuis; beatis & Electis per ascensionem ad cœlos: illis in confusionem; istis in conversionem; his in exultationem. Hoc pacto singula, instar torrentis, è contextus scaturigine fluunt.

XXIII. Deniq; argumentum satis firmum petere possumus ex Symbolo Apostolico, quod ut brevissimis, ita maximè proprijs & perspicuis verbis conscriptum fuit. Ut enim in reliquis de Christo articulis tropum nullum admittimus: ita & hic articulus; *Descendit ad inferos*, non de figurato aliquo, seu improprio; sed de vero, reali, ac corporali descensu ad sedem damnatorum propriè, & κατὰ τὸ φυσικὸν intelligendus erit. Neq; enim ulla dari potest ratio, ob quam reliqui articuli omnes propriè & secundum sensum literalem ac Historicum sint intelligendi: Hic verò articulus, qui agit de descensu ad inferos, à proprio sensu ad figuratum sive Metaphoricum sit detorqueendus. Rectè igitur ignatius in Epistola ad Trallianos, ubi summam fidei & quasi symbolum recitat, ait: *Descendit Christus Dominus ad infernum solus; ascendit autem cum multitudine.* Concludimus itaq; cum Augustino; *Quis nisi infidelis dubitaverit, Christum fuisse in inferno?* Epist. 99.

XXIV. Secundam Questionem quod concernit, cum Formula Concordiæ simpliciter credimus, *Totam personam, Deum & hominem, ad inferos descendisse;* Et ut ita credamus rationes has habemus. 1. Quia symbolum Aposto-

licum uti breffimum est; ita maximè proprijs verbis explicari debet. Ut igitur intelligimus propriè totum Christum natum, passum, crucifixum mortuum & sepultum, resurrexisse & ad cœlos ascendisse: Sic etiam intelligendum erit, eundem totum ad inferos descendisse. *Nam omnis spiritus qui solvit Iesum, & non profitetur Iesum Christum in carnem venisse Ex Deo non est, & hic est Antichristus, 1. Joh. 4, 3.*

XXV. Confirmat II. Idem Paulus Eph. 4, v. 9, 10 inquit, *Illud ascendit quid est, nisi quod etiam descendit ad infimas terræ partes: Qui descendit, ipse etiam est, qui ascendit super omnes cœlos &c.* Ubi est antithesis ascensionis Christi in cœlum & descensus ejusdem ad inferna. At constat, totum in cœlos ascendisse. Necessariò igitur sequitur, totum etiam ad inferos descendisse, idq; propriè loquendo secundum humanam naturam. Nam secundum quam naturam Christus infirmitatibus & passionibus fuit obnoxius, secundum eam quoq; exaltationis & victoriæ trophæa statuere debuit, Jam verò secundum humanam naturam infirmitatibus & passionibus fuit obnoxius, Ergo.

XXVI. III. Huc patrum sententiæ referendæ sunt, ex quibus Augustini dictum est memorabile: *Totus filius apud patrem, totus in calo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno. Totus in paradiso, quo Latrone introduxit; Non per diversa tempora aut loca dicimus, ubiq; esse totum, ut modo ibi totus sit & alio tempore alibi totus, sed ut semper ubiq; sit totus; in exposit, Symb. ad catechum. Lib. 3. Hinc etiam Lutherus in Conc. Torgensi, Anno 33. Sicut juxta Symbolum Apostolicum simpliciter credo in totam personam absq; separatione corporis ab anima; ita hic etiam sequestrare non audeo.*

XXVII.

XXVII. De *Tertia* *Questione* sententiam suam Liber Concordiæ verbis paucissimis exprimit, inquiens; simpliciter credimus, quod tota persona, Deus & homo *post sepulturam* ad inferos descenderit. Factum ergo id credimus, morte non tantum superata, sed etiam unione corporis & animæ instaurata, in primo vivificationis momento, priusquam hominibus è morte re-dux conspiceretur. Nam series articulorum ita cohæret: quod Christus mortuus sit, & corpus ejus triduo quieverit in sepulchro: paulò tamen post, anima corpori rursus unita, priusquam alijs redivivum se exhiberet, totus ipse, anima & corpore ad inferos descenderit.

XXVIII. Ubi cum primis notandum, aliud esse *vitam* seu *vivificationem*, propriè loquendo; Et aliud, *vite manifestationem*: Aliud item *ζωοποίησιν*, & aliud *ἀνάστασιν* seu resurrectionem; & illam quidem in vitæ restitutione, animæq; ac corporis unione positam esse; hanc verò in manifestatione & apparitione hominibus facta. Vivificatio descensum ad inferos præcedit; sed vitæ manifestatio eundem sequitur.

XXIX. Et sic ipsa Scriptura docet. Nam 1. Pet. 3, v. 18. *Christum carne mortificatum, sed spiritu, hoc est, per divinam potentiam vivificatum tradit, & tum ad inferos abiisse*, sed v. 21. Resurrectionem ejusdem subjungit, ut in thes. 21 & 22. dilucidè est declaratum. *Triumphus agitur de hostibus superatis, non superandis, non à mortuis, sed à vivis.*

XXX. IV. Si quærat. *Quid Christus in inferno egerit, & cui bono illuc descenderit?* Respondemus. Habuisse hoc descensum ad inferos cum toto officio Christi commune, ut quemadmodum mors ejus non simplex, sed

sed satisfactoria fuit; ita quoque non sibi, sed nobis descendere. Et sicut traditus est propter delicta nostra; ita resuscitatus propter justitiam nostram, rom. 4. 25. Nec verò separanda est satisfactio seu obedientia Christi à descensu, eisdemque resurrectione. Quam enim significationem particula *dis* habet, ubi de traditione Christi in mortem propter delicta nostra usurpatur; eandem habeat necessum est, cum de effectu resurrectionis Christi circa justificationem nostram agitur. Utrobique autem meritum & satisfactionem notat. Unde & ad perficiendum redemptionis opus, ascensionem in cœlos tam necessariam fuisse Epistola ad Hebr. c. 7, v. 26. c. 8. v. 1. ait, ut Christi sacerdotium constare non posset, nisi in cœlos ascendisset.

XXXI. Certiores fieri electos Dei filios, quod Diabolus nullum jus reperiat in ipsos, necessarium fuit. Utique *ne nos aeternum pateremur, ipse passus est; ne aeternum moreremur, ipse mortuus est; ne aeternum in inferno teneremur, ipse in infernum irrupit, perrupit, eumque corripit, destruxit. Iam igitur quotquot credentes sunt, ab inferno sunt immunes.*

XXXII. Sunt tamen & alij speciales fines I.º Respectu Christi est *occupatio ipsius regni*, ut plenariè deinceps dominaretur, in cœlis terra, & ipso quoque inferno, ut *susciperet nomen supra omne nomen, ut in nomine ejus omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & inferorum*, ad Phil. 2. 6, 10. Quem locum S. Hilarius ita interpretatur: Accepit deinde possessionem finium terræ, hoc est, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum: non terrena solum, sed superna etiam, infernaque donantur, & ea quibus terra concluditur,

XXXIII. Alter respectu damnatorum: *predicatio ejus*



*Ejus apud inferos, 1. Pet. 3, v, 19. Non quidem verbis, sed efficaciter in damnatis testificans de immensis cruciatus suis, quos tum corpore, tum anima in solenni passionis actu sustinuerit, ita quidem, ut qui olim in ipsum passurum & descensurum crediderint, pariter & in posterum vera fide applicaturi meritum ejus sibi sint, ab æterna passione & cruciatu corporis & animæ revera liberi sint, & esse debeant.*

**XXXIV.** *Ultimus deniq; respectu Diabolorum est triumphus & victoria. unde dicitur δεῖγμα τῆς νικητικῆς ἐξουσίας Col. 2, 15, quod non significat traducere ab inferis ad cœlum, ut exponit Thomas; Verum Exemplum ignominie statuere. Similis Locus extat Ose. 13, v, 14. Ubi Christus Dominus per Prophetam de victoria illa adversus mortem, ac ipsum adeo infernum concionatur, seq; morti pestem ac inferno plagam futurum prædicit. Est enim ἐπιβίχιος salvatoris, quod cecinit post devictos hostes, uti constat tum ex verbis ipsis, tum præcipue quoq; inde, quod ab Apostolo 1. Cor. 15, 34, 35. ad probandam resurrectionem corporum nostrorum, hominumq; liberationem à morte & damnatione æterna adducatur, quemadmodum id contra Judæos Irenæus, Hieronym. l. 5. c. 13. Athanasius de incarn. verbis, alijq; observant.*

**XXXV.** *Exterrita itaq; mors est, videns novum quendam descendente in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Qua de causa, o porta inferni, hunc videntes exhorruistis? quis insuetus vos capit timor, ait Cyrillus in hunc locum.*

**XXXVI.** *Ex his, quæ hæcenus allata sunt, Quinta quoque Quæstio decisa relinquitur. Quod videlicet, descensus Christi sit initium gloriosi triumphis, sit actus Christi exaltati*

tati, non exinaniti, ut docent ignatius ad Trallian, Origenes in Epist. ad Rom. l. 5. Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratian. Nec minus Christi descensio, quam ascensio, est luculenta manifestatio suæ gloriæ, majestatis & victoriæ; etsi modus non sit idem.

XXXVII. Quod igitur sit initium victoriæ & triumphi Christi hoc modo breviter probatur. Descensus Christi, ad inferos vel ad statum exinanitionis, vel gloriæ & majestatis pertinet. Sed ad statum Exinanitionis non pertinet. Anima enim Christi tristis fuit usq; ad mortem Crucis, Matt. 26, 38. Phil. 2, 8. Ubi quæ in statu exinanitionis perfici debuerunt, sunt consummata, Joh. 19; 30. Ergo ad statum gloriæ referendus est. Ostendit in inferno victricem suam potentiam, regni vero infernalis panoethrian. *Mortuus enim est propter nos, ut victima; descendit ad inferos pro nobis, ut victor.*

XXXVIII. Cum S. Itaq; Hieronymo in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, Mortem alloqui, illiq; insultare licebit his verbis: Qui per Oseam quondam tibi rigidus minabatur: Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus inferne; illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus. Devorasti & devorata es. Dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, & avidis faucibus prædam putas: interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi CHRISTE SALVATOR tua agimus creatura, quod tam potentem aduersarium nostrum, dum occideres, occidisti.

*In quo triumpho & nos hanc disquisitionem claudimus, & Domino nostro Christo gratias agimus, auriq; sumus in non terminanda secula.*

Viro Juveni

*Ingenio, Eruditione morumq; concinnitate præ-*  
*stantissimo*

DN. EDUARDO RAZELIO Suderm.

*Sacra Reg. Maj:ti Alumno meritissimo, Theses*  
*hasce Theologicas propugnaturus, amico*  
*meo Singulari;*

QUanto Tu sophies studio lectissime flagres  
Nullo, EDUARDE, satis concelebrante patet:  
Thejologûm Te scripta simul voluisse polita,  
Discursus præfens comprobat ecce sacer.  
Gratulor ergo Tibi, Deus utq; laboribus adsit  
Porro Tuis clemens, corde calente precor;

*In publico patriæ luctu, domestico etiam*  
*infortunio pressus, ægro quidem*  
*animo, sincero tamen scrib.*

ANDREAS THURONIUS

Log. Prof. ord. & Coll. Philos.  
h. t. Decanus.



MYstica Pieridum venerari culmina mandat  
Nos Themis, Aoniæ sat præmia Thespiadesq;  
Grandia scandenti promittunt Palladis arces;  
Attamen Aonidum qui cultor idoneus audit,  
Cogitur Herculeo superare molesta labore  
Tadia, quæ largo cum felle onerata redundant,

Sudc-

*Sudorem quoniam bene culta Minerva rependit  
 Cuius Pierij felici fontis Alumno ,  
 Auro ornat digitos contextit laurea ferta ,  
 Pindaricis ideo vellem contendere plectris ;  
 Quod cathedram magno celsam molimine tentas  
 Scandere RAZELI, divasq; probare Camœnas  
 Materiâ hâc satagis, Jovis indubitata propago,  
 Linquens astra petit Stygij antra tremenda Draconis ,  
 Ac portas clausi nobis recludit Olympi.  
 Aonijs dum ritè modis defendis idipsum ,  
 Perbrevis auspicijs ego gratulor omine lato  
 Tempora Parnassi crescens in vertice montis  
 Laurus amena tibi circumdet fronde virente .  
 Ingenij plures perge ut componere pergis  
 Fortus : cœptis hisce tuis aspiret JEsus,  
 Metas quò optatas Heliconis tangere possis,  
 Spes non confundit, sic Paulus Apostolus inquit.*

Cancellorum fraternitatis & amoris à pueritiâ  
 ingressorum causâ gratulabundus quæ  
 vis fausta voveo,

SALOMON L. Enebergh Nycopenstis.

**E**X animi studio cordisq; recessibus imis,  
 Isthæc RAZELI, gratulor orsa tibi.  
 Dirigat omnipotens conamina tanta, labores  
 Prosperet; ausa juvet: sufficit hocce tibi.

*Populari ac fratri, usu familiaritatis con-  
 junctissimo, ita gratulabar*

GABRIEL J. HINNELIUS  
 Nycopiâ - Sudermannus,